

venit, & Latinæ linguæ nescius, vnum ex  
 fidis interpretis loco habuit. Publicum  
 quod in tali solet celebrabatur consisto-  
 rium, illuc inter multa recitatum erat  
 Rom. Pont. decretum vbi Aegypti Re-  
 gem fecerat: quo audito sublatus est in-  
 gens plausus omnium admirans Santius,  
 sedentem ad pedes interpretem, quid sibi  
 vellet strepitus, percunctatus est: vbi au-  
 diuit se Aegypti Regem pronunciatum:  
 Surge, ait, & diuum Papam pronuncia  
Calyphum de Baldacho. Festina & verè  
Regia libertas, pro inefficacis Regni no-  
mine inanis Pontificatus titulum pen-  
fauit.

## COMES QUIDAM FUCHSII.

Comes olim Fuxi, in Cathaloniam  
 profectus, erat homo liberalis, & qui  
 nil agere didicisset: Illic vt aiunt turba  
 petentium obsessus, nihil sibi relique-  
 rat præter mulam quam ponderosus se-  
 nex equitabat. Reditum paranti, non de-  
 fuit qui calcaria insuper precibus extor-  
 quere niteretur. At ille protento pede  
 subridens: Accipe, inquit, modò mihi a-  
 liquem expedias, qui mulam meam Fu-  
 xum vsque sollicitet.

DINVS